rependens vicem glorificabit nos. *Et continuo glorificabit eum*. Quippe, ſtatim poſt mortem, & reſurrectionem Domini apoſtoli prædicauerunt Chriſti diuinitatem, & pœnitentiam in nomine eius. Et clara uoce, vt acta Apoſtol. indicant, reſonarunt, non eſſe datum hominibus nomen ſub cœlo aliud, niſi nomen Ieſu, in quo oporteat homines ſaluos eſſe. *Filioli adhuc modicũ vobiſcum ſum, quæritis me, & ſicut dixi Iudæis, quo ego vado uos no poteſtis uenire, etuobis dico mõ.* Apoſtolos filios uocat modo, quos poſt reſurrectionem appellat fratres, & ante apoſtolatũ erãt ſerui. In nomine autem hoc filioli, adhuc apoſtolorũ imperfectionem denotat, ut Paulus Galatas uocat filiolos. 4. capitul. Filioli mei, quos iterum parturio, donec in uobis formetur Chriſtus. Quibus ſanè verbis infirmitatem ſpiritualem Galatarum ſubindicat Paulus. At Ioannes primo catholica frequenter ſuos diſcipulos filiolos uocat. Fortè non eſt ſemper neceſſariũ hoc nomen ſignificare imperfectionem virtutis, quia aliquando poterit ſignificare amoris ſuauitatem: quia huiuſmodi diminutiuis appellationibus amoris ſuauitas ab amantibus dulciter in ſuos caros demonſtratur vt 1. Io. 4. victores diaboli, filiolos uocat. Vnde Cyrillus. non eò Dominũ uocaſſe ſuos apoſtolos modo filiolos credit, quod in eis eſſet imperfectio virtutis, ſed quia omnis virtus, uel ſapiẽtia Deo comparata modicum eſt. Idcirco uocat eos filiolos quippe, etſi alioqui perfecti eſſent Domino dicente, Iam vos mundi eſtis, cæterum puſilla eſt hominis perfectio Deo collata. Quoniam omnis creatura ante ipſum, Sapientiæ. 11. ſicut momentum ſtateræ eſt, & ſicut gutta roris interlucani. *Adhuc modicum.* Modicum inquit, uel quia mox erat ſubtrahendus per capturam & ſequẽti die crucifigẽdus. Aut quia poſtquam triumphator aſcendit de ſepulchro quadraginta ſolum diebus conuerſatus eſt cum diſcipulis ſuis. Neque obſtat quod Matth. 25. ſcribitur, Ego uobiſcum ſum vſque ad conſummationẽ ſeculi. Enimuero, Chriſtus ſemper adeſt fidelibus ſuæ diuinitatis ſpeciali prouidentia, & aſſiſtentia: tametſi ſecundum carnis præſentiam abeſt, poſtquam aſſumptus eſt in gloriam Dei patris. Iam enim non eſt uiſibilis oculis corporis, neque tractabilis, ſed ſolum oculis fidei, per quam credimus præſentẽ eſſe realiter ſub velamento ſacrorum accidentium, & panis & vini.

Filioli nõ ſolum imperfecti, ſed ẽt perfecti, in ſcriptura uocantur.

Modicum ait, igitur vobiſcum ſum, loquens & agens, & mortali vita uiuens, ut uos uiuitis. At reſurgens a mortuis, & uita immortali fruens, modicum ero uobiſcum mortalem uitam degentibus. Verum poſtquam exueritis uitam mortalem, & nouam & immortalem indueritis, iam mecum non modico tum eritis ſed ſempiterno: quia patrem meum rogaui dicens, uolo pater, ut ubi ego ſum illic ſit & miniſter meus. *Quæretis me.* Hoc eſt, deſiderabitis me uidere, & habere ſenſibilem meam protectionem, ut ſolebatis. Torquebunt. n. uos perfidi homines, & uariè diuexabunt: & tunc in preſſuris ueſtris me quæretis, hoc eſt, meum patrocinium implorabitis maximo ſtudio. *Quia ego.* Vado ſanè ad mortem modo. Propter ſalutem orbis, innocens patiar, ut nocentes abſolutam, & uos modo, quia infirmi eſtis non poteritis pro me ſubire mortem, ut ego ſubibo pro uobis: quouſque ſpiritus ſanctus uos roboret, ut pro me patiamini. Tunc ſane quo ego uadõ modo ad crucis, ſcilicet, ignominiam, me clarificantem, poteritis peruenire. & calicem, quem ego modo bibiturus ſum, bibere poteritis, & de facto, ad gloriam meam bibetis. *Et nobis dico modo.* Quia dixerat, Quò ego uado non poteſtis uenire, ne putarent apoſtoli perpetuo ſe parandos eſſe a Chriſto,